



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Adnotationes || Et Meditationes || In Evangelia Qvae || In
Sacrosancto Mis-||sae Sacrificio || Toto Anno || Legvntvr;||**

Nadal, Gerónimo

Antuerpiæ, M. D. XCV.

Feria II. Maioris hebdomadæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78158](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78158)

quem existiment serio ad pœnitentiam, & vitæ respicientiam cogitandam induci posse, & ad quarendum per quem doceatur, vt fructuose confessionem peccatorum, præsertim vitæ vniuersæ instituat: siue concionandum sit, siue quis familiariter ad orationē sit erudiendus: aduersus hos omnes, & deprauatus sensus noster, & Dæmō insurgunt impotenter, dissipemus, diripiamus, mactemus, perdamus hos homines, & eorum stultas machinationes. Nunquam cessant, nunquam quicquam de sua crudelitate remittunt. His nos resistamus in Christo; sensum, & deprauatas cogitationes compescamus, Dæmonem conculcemos pedibus nostris velociter. Dicamus & nos contra sensualitatis prauitates, contra Diaboli nequitias Christo authore; Quid facimus? quia hostes nostri atrociter in nos faciunt: nisi horum profigemus arma, & vio-

lentiam opprimamus, tunc verò veniēt Romani, id est Dæmones permulti, & animam nostram occupabunt, & virtutes, & dona Dei quæ sunt in nobis, diripiēt, facient de templo Dei, quod sumus nos, latronum, id est Dæmonum, & omnis peccati speluncā. Sed quo pacto his resistemus? Si prophetiam, quam non intellexit Caiphas, nos piè recipiamus; mortem Christi nostram esse virtutem, nostra arma, nostram esse victoriam & salutem sempiternam non solum credamus, sed spem illam in Deum confirmemus, dilectionem in Deum & Christum eius pro tantis beneficijs exerceamus in dies feruentiorem. Ita fiet, hostibus animæ nostræ profligatis, vt agnoscamus Dei, & mortis Christi virtutem in nobis, & Deum in sempiternum gloria & laude infinita prosequamur, Amen.



FERIA SECUNDA MAIORIS HEBDOMADÆ.

Cæna apud Simonem leprosum.

MATTH. XXVI. MAR. XIII. IOAN. XII. ANNO XXXIII.

In lxxi. imaginem adnotati iuncula.

Ixxi.
84.

- | | |
|---|--|
| A. Hiericho, vnde Bethaniam venit IESVS, | H. Ministrant alij. |
| B. Bethania. | I. Christi animum contemplare mortem meditantis. |
| C. Domus Simonis leprosi. | K. Magdalena ungit pedes IESV, & capillis extergit. |
| D. Veniunt multi Hierosolymis, non tantum ob IESVM, sed vt Lazarum videant. | L. Effringit deinde vas unguenti, & super caput eius effundit. |
| E. Canat IESVS, & Lazarus vnus est de discumbentibus. | M. Iudas acerbissime fert effusionem unguenti. |
| F. Iudæi astantes coniectis oculis in Lazarum, | N. Iudam agit precipitem Dæmon ad Principes. |
| G. Martha ministrat. | |

E V A N -

EVANGELIVM MISSÆ.

MATTH. XXVI.

IOAN. XII.

MAR. XIII.

Iesus ergo ante sex dies Paschæ^a venit^b Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus. Fecerant^c autem ei^d cœnam ibi, & ^e Martha ministrabat, Lazarus^f vero vnus erat ex discumbentibus cum eo.

Et cum esset Bethania & recumberet,

^g Maria ergo accepit libram unguenti nardi piftici pretiosi, & ^h vnxit pedes IESV, & exterfit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore unguenti.

venit mulier habens^k alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi; & fracto alabaſtro

Dixit ergo vnus ex discipulis eius^m Iudasⁿ Iscariotes, qui erat eum traditurus;

Erant autem quidam indigne ferentes intra semet ipsos, & dicentes;

Quare hoc unguentum non venijt trecentis denarijs, & datũ est egenis?

Vt quid perditio ista unguenti facta est?

Poterat enim unguentum istud venundari plusquam trecentis denarijs,

Et fremebant in eam.

Dixit autem hoc, nõ quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & oculos habens, ea quæ mittebantur portabat.

Dixit ergoⁱ IESVS; Sine illam, vt in diem^j sepulturæ meæ seruet illud.

IESVS autem dixit; Sinite eam.

Quid illi molesti estis?

T MATTH.

Cum autē esset IESVS in Bethania in domo Simonis le-

propheta accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti piftici. & effudit super caput ipsius recumbentis.

Valentes autem discipuli, indignati sunt, dicentes,

Vt quid perditio hec?

Potuit enim istud venundari multo,

& dari pauperibus.

Sciens autem IESVS, ait illis;

Quid molesti estis huic mulieri?

Opus enim bonum operata est
in me.

habetis

me autem non semper habebitis.

Mittens enim hæc unguentum
hoc in corpus meum, ad sepe-
liendum me fecit.

Amen dico vobis, ubicunque
prædicatum fuerit
hoc Evangelium in toto mundo,
dicetur & quod hæc fecit in
memoriam eius.

Pauperes enim semper
habebitis vobiscum, me
autem non semper habe-
bitis.

Cognouit ergo turba
multa ex Iudæis quia illic
est, & d' venerunt, non
propter IESVM tantum,
sed ut Lazarum f' videret,
quem suscitavit à mor-
tuis. Cogitauerunt autem
Principes Sacerdotum, ut
& Lazarum d' interfice-
rent, quia multi propter
illum abibant ex Iudæis,
& credebant in IESVM.

ADNOTATIO.

Premittitur imago hæc & adnotatio propter
historie seriem, ex qua tu, & ante ingressum
IESVM in urbem poteris meditari, & accommo-
dare ad feriam secundam, iuxta usum Ecclesie:
similiter intellige de tribus proximis, quarum
historiam complectitur Evangelium nonæ Do-
minicæ post Pentecosten.

A. Hiericho, unde Bethaniam venit IESVS
cum discipulis, cum matre, cum mulieribus, &
turba quæ eum sequi consueverat.

B. Bethania ad radicem montis Oliueti ab
Oriente, vergens tamen ad Austrum, quod ve-
nit IESVS ad domum Mariæ, Mariæ, & La-
zari. Contemplare venientes, Christus quidem
excelsa quadam animi fortitudine iter faciens
alios præcedit, ad mortem properans: Maria
mater virgo mærens quidem (prædixerat enim
IESVS ad crucem se ire & mortem) magnani-

miter tamen marorè suffert: alij tristes sunt &
timidi.

C. Domus Simonis leprosi, quem prædunt an-
tea à Christo sanatum, & Mariæ fuisse cogna-
tum. Hic IESVM cæna excepit venientem à
Hiericho, sexto die ante Pascha: in hac autem
cæna due factæ sunt Christi vinctiones, prima
pedum, alia capitis.

D. Veniunt è Hierosolymis multi, cum audi-
sent Bethaniam venisse IESVM, non propter
IESVM tantummodo, sed ut resuscitatum La-
zarum viderent: quod ubi resuscitum Principes
Sacerdotum, addunt crudelem appendicem ad
nefarium consilium, ut non solum IESVM, sed
Lazarum simul necarent, ne illo miraculo addu-
cta, & Lazari conspectu & verbis illecta crede-
ret in IESVM Iudæorum multitudo.

E. Cænatio, mensa, confessus ad mensam, Pri-

mo loco sedet IESVS, secundo Lazarus honesto & civili cultu, deum aspidens Apostoli, ultimo loco Iudas Iscariotes. Et in Lazarum quidem committunt sunt ora coniecta, ut in hominem prodigiosum, cuius anima fuisset in inferno illis paucis diebus. Inceffebat etiam fortassis aliquos cupido interrogandi ex illo de animarum statu post mortem; nec desunt qui dicant respondisse fuisse antibus Lazarum; quod tamen fidem non meretur.

F. Iudei, qui cenantes contemplantur, & admirantur abundanti.

G. Martha ministrat mensam, ut in domo vel cognati, vel familiaris sui, vel Christo deuotio, qua in alienam etiam sese obtulisset ut Christo suum officium praestaret, sicuti Maria suum.

H. Expediunt alij ministri cibos, alij ferunt ad mensam.

I. IESV animam aduerte, mortem suam meditantis & sepulturam. Propterea permouet interius Magdalenam, ut hac vnctionibus representet, alios vero abigit ab eius inspectione.

K. Maria cognomine Magdalena, eadem solum Marthe & Lazari; que iam antea vixerat pedes IESV & exterserat capillus, non pedes & caput, ut hic cum Christo peccata multa remiserat, ex qua Dæmonia septem eiecerat ante biennium; unde magnam gloriam erat consequuta mulier nobilis, & profana effecta insignie sanctitatis & pietatis exemplum. Hac charitate in Christum accessit, cum sciret proximam eius mortem & sepulturam, eam voluit vnctione pretiosa celebrare & adorare. Nunc non plorat, quod alia vnctione fecerat, sed plena charitate interne, tota rapitur & dissoluitur in animi deuotionem. Affert alabastrum, elegans videlicet vas, ore angusto, forma turbinata, ex limpidissimo alabastrite marmore, leuic, delicatum, fragile, anulus desiniturum. In hoc affert libram sine pondere, id est uncias duodecim, aromaticæ & pretiose aque, vnqueant arte confecta, ex

myrrha alijsq; aromatibus, præcipue verò ex sincero probatæq; fidei nardo, unde nomen accipit vnqueantum, eoq; spicato, ut ex Marco legitur aliqui; siue dicatur radix nardi spica, siue culmi se folliculus, unde tenues ariste in modum spiculorum eminent, in quo præstantia odoris & virtutis nardi continetur.

Dioscor. Plinius & alij.

L. Affice ut procumbat ad pedes IESV primum, ut illos vnget, ut capillis extergat; nec hoc officio contenta, quasi in feruorem deuotionis assurgens, effringit alabastrum, & super caput IESV effundit; ut & caput, & totum Christi corpus citò morituri pretiosissimo odore irriget. Contemplantur affectus animi in Magdalena, & eius vnqueantum interius, quo præcipue pedes & caput Christi vngebat: refundentem simul considera Christum in eam interne vnctionis dulcedinem.

M. Terribimus latro Iscariotes hac videns, mordetur seu inuidia, auaritia, malitia, vnctionem desestatur, dolet tantum sibi bolum esse tam subitò & faucibus ereptum; cogitat CCC. denarios, id est xxxvi. coronatos cum quadrante, quibus potuit vnqueantum vendi; eam prædam se perdidisse: nam per Synecdochem in plurali dicitur Matthæus quod solus Iudas dixit, vel omnino si quis alius dixit vel cogitauit, ex animi simplicitate, & improvido pauperum zelo id fecit. Describitur verò Dæmon Iudam corripiens, non quod tunc primum Diabolo Iudas agitari inciperet, sed quod atrocius tunc in illum irruit, atque ad prodicionem Christi protrusit.

N. Iudam præcipit em agit Dæmon; concipit animo, ut pro furto vnqueanti è manibus erepto IESV Mprodatur ac vendatur Iudeis: etiam tum adit ad Principes & Magistratus, operam suam offert; illi pretium constituunt; deum cautè obsidebat omnes occasiones, quibus Christum in manibus impiorum traderet interficiendum: qua de re ad principium Passionis cogitandum est.

MEDITATIO.

Plenum est hoc Euangelium mysterijs salutaribus fratres: sed vt ea fructuosius meditemur, concedamus oportet Bethaniam, vbi illa geruntur: è pago etiam, & domo illa deuotionem animi concipiamus, vbi Christum adoremus, & omnia illa loca & mysteria veneremur; ex illa Bethania ad aliam assurgamus: est enim Bethania locus afflictionis exauditionis, responsionis; sed cuius? Christi afflictionis & nostræ. Ibi Christus singularè

afflictionem sensit ex vnctionibus Magdalena, quibus mors sua & sepultura subeunda designabatur. Nos eadem de causa affligere corda nostra debemus; neq; propter memoriã crucis Christi tantum, sed propter delicta nostra, propter quæ passus est Christus. Hinc misericordiam ab eo imploremus: exaudiet nos, qui pro nobis, antequam essemus vt peccaremus, mortuus est. Respondebit verò nobis Christus vnctione suæ misericordiæ, & gratiæ,

gratia, & donorum; dignos etiam faciet horum mysteriorum fructu, unde perfecta eius oleditione imitemur: id enim simul significat Bethania. Consideremus igitur huius sacri Evangelij historiam. Reueriebatur ab Iphrem IESVS, quod diuernerat, ut ne alio tempore quam pater praesentaret mori obiret. Praedixerat discipulis futurum ut crucifigeretur Hierosolymis, quod properabat expedire, excelsio animo praecedens stupentes & timentes. *Luc. 18.* Sanauerat caecum ante ingressum Hierichuntis, in eadem uibe iustificauerat Zachaem *Luc. 19.* Publicanum, decedens Hierichunte caecos item *Matth.* duos illuminauerat. Erat ille ascensus Hierosolymitanus celeberrimus, magna illum turba praecedebat & sequebatur, Mater eius Maria uirgo cum mulieribus consequebatur. Cum hac celebritate peruenit IESVS Pethaniam ad radicem montis Oliueti ad Orientem: exceperunt illum hospites sui, Lazarus, Maria Magdalena, & Martha, sed cana illi parata est apud Simonem leprosum, quem scilicet a lepra IESVS sanauerat, in ipsum credentem, quem necessum est fuisse vel cognatum Lazari, vel amicum. Itaque intelligitur cana communiter ab utrisque fuisse Christo parata, a Simone, & Lazaro cum sororibus. Contemplandum totum hoc iter ab Ephrem Bethaniam usque, Christi alacritate ad mortem properantis illustratum, miraculis ornatum, magna comitantium frequentia & laudatione nobilitatum, quae laetum iter faciebant. Contra uero Christi animum si spectes, si Mariae uirginis Matris, Apostolorum, mulierum, varia occurrerit affectuum facies. Christum incipiebat mortis propinqua naturalis quidam timor & moeror, uoluntarius tamen, mouere, quem tamen infinita animi magnitudine sustentabat. Maria uirgo secundum Christum dolenter quidem, magnanimitate tamen hoc iter faciebat. Apostoli uero & mulieres stupebant quidem & timebant, hinc passibus ex portis sequebantur iter, illinc animo refugiebant, quos tamen Christi Spiritus sulcibat diuinitus. Ob hanc rerum faciem Ecclesia ante Christi crucem aliquot dies eius passioni consecrat. Sed doce nos, benigne IESVS, mysteria aliquot huius Evangelij. Volui ante sex dies Pascha celebri cana canam meam uelimam & passionem commemorare,

ut qui in animo meo erat passionis sensus & cana uelimam, cum representarem, & qui in animis discipulorum & matris erat doloris & timoris sensum lenirem. Ad Pascha autem uerum hanc canam referebam, & quasi ad octauam paschalem reipsa canebam dulcem & salutarem. Eram in Bethania, hoc est in meditatione futurae afflictionis, in domo Simonis, id est obedientiae meae ad Patrem, quae eodem me erat redactura, ut non solum essem futurus quasi leprosus & percussus a Deo & humilitatus, sed cruci essem assignendus crudelissimus. Adhibui tamen Lazarum a mortuis suscitatum, quandoquidem simul de mea resurrectione sermo cogitabam, Mariam uero, quae meam mortem & sepulturam ante oculos omnium constitueret, Martha ministrabat, quae ut uiram actiuam significat, ita etiam operosam meditationem misteriorum, unde animi leuatio oriri solet, & diuinarum rerum contemplatio. Haec ut deuotè percipiatis mysteria, gustus est uobis parandus ex pijs desiderijs, & meditationibus, & operibus. Haec frequenter uersate animo me auctore, & mecum hanc canam accipietis, reflectionem scilicet internam, dulcem, ac fructuosam; & ungeris non solum pedes meos, sed etiam caput: simul enim me iuuante, & in uirga actiuae efficaciam proficietis, & in contemplatione luce & suauitate. In me quicquid preciosi habetis conferte, mihi offerre cor uestrum, mihi date animam, mentem, spiritum, mortificatos uestros sensus mihi sacrificate, & ueneritis me uardo pistico & pretioso. Neque uereamini eos, si qui obmurmurant ob uestra bona opera; ego uos ab illorum uel calumnijs, uel oblocutionibus defendam, ut à Iuda Magdalenam: & si quando Iuda similem persecutionem, etiam acriorè, uel ad sanguinem usque & mortem uideritis uobis excitari, estote fortes & constantes, & credite me uobis maius auxilium, maiorem gratiam, uires etiam ampliores susceptorum, quod in maiora pericula & tribulationes propter nomen meum incideritis. O suauem uocem! o diuina mysteria & doctrinam! Quas gratias uel agere, uel habere nos dignè non possumus, sancti ipsi & Angeli tibi, sancte & magne IESVS, & agant, & habeant. Amen.

DOMI-